

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Religiosam Paschae Celebrationem Fridericianae
Prorector D. Andreas Elias BÜchner S.R. Imperii Nobilis,
Potentiss. Prvssiae Regis Consiliarivs ...**

Büchner, Andreas Elias
Halae Salicae, MDCCLXVIII.

VD18 13088025

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-192345





181 D. 4

17.
RELIGIOSAM PASCHAE CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE PRORECTOR
D. ANDREAS ELIAS
BÜCHNER

S. R. IMPERII NOBILIS,
POTENTISS. PRUSSIAE REGIS CONSILIARIUS INTIMVS, MEDICINAE
ET PHILOSOPHIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, FACVLTATIS
MEDICAE SENIOR, ET REGIOR. ALV̄MNORVM EPHORVS, IMPERIALIS
ACAD. NATVR. CVRIOS. PRAESES, REGIAE SOCIET. SCIENTIAR.
ANGLICANAE, BEROLIN. ET MONSPELL. SODALIS,

VNA CVM
DIRECTORE AC PROFESSORIBVS RELIQVIS
INDICIT CIVIBVS,

PROPOSITA COMMENTATIONE
DE
CONIVNCTIONE CHRISTI CVM
CREDENTIBVS EIVSQUE EFFECTIS,

SECVNDVM ROM. VIII. 10. 11.



HALAE SALICAE
TYPIS ORPHANOTROPHEI, C1C1CCCLXVIII.

RELIGIOSAM PASCHAE CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE PROCTOR
D. ANDREAS ELLAS
BACHNER

IN INTERII NOBILIS
POTANTIS PRIMA REGIS CONSILIARIS INTIMIS, MEDICIS
AT THEOLOGICIS, ROMANIS, VELICIS ORDINARIIS, FACULTATIS
MEDICIS, GENEALOGICIS, ET ALIIS, ALIQUOTUM, INTER ALIOS
ACADEMIAE, CATHOLICAE, REGIAE SOCIET. SCIENTIAR.
ACADEMIAE, PROCTOR. ET MONAST. SOCIET.
VNA GYM
DIRECTOR AC PROFESSORIBUS RELIGIIS

INDICIT CIVIBUS
PROPOSITA COMMENTATIONE
CONIVNCTIONE CHRISTI CVM
CREDENTIBUS EVANGELIIS



HALAE SALICAE
TYRIS, ORPHANOPTHET. CICISCLIVII



nstant rursus illi dies, quos populus Christianus a primis iam temporibus recolendae memoriae Christi ab inferis excitati sacros destinatosque esse voluit. Cum igitur res ipsa quae celebratur, reditus scilicet Domini nostri in vitam, maximi omnino momenti et arx quasi totius religionis Christianae sit; nihil fane prius nobis atque antiquius esse debet, quam ut tantam rem ac plane, ad nos salutemque nostram pertinentem digne quoque meditemur, ac pia sollicitudine id adhibito omni studio operaque agamus, ut in societatem resurrectionis et vitae Christi peruenientes et ipsi *in nouitae vitae ambulemus?* (Rom. VI. 4.) eam enim vnice ob causam *vnus pro omnibus mortuus est, ut quicumque viuunt non non amplius sibi uiuant, sed illi qui pro ipsis mortuus est et excitatus.* (2 Cor. V. 15.).

Haec ponderantes ipsi, de vobis quoque, *Ciues carissimi*, qui fidei nostrae estis concrediti, merito cogitamus, quantum quidem in nobis est, in eo elaboraturi, ut et vos Christi ac proinde salutis et vitae, quae extra Christum nulla est, vere participes fiatis, otiumque horum dierum, qui vacationem laboris ordinarii adferunt, in maximo hoc negotio consumatis. Qua in re ut vobis adiumento simus, nec quidquam in nobis desiderari patiamur, breuiter sententiam Paulinam (Rom. VIII. 10. 11.) eiusque argumentum vobis ad meditandum proponere constituimus. Ita vero se habet latine expressa: *Si vero Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vita est propter iustitiam: Si vero Spiritus illius, qui Iesum excitauit a mortuis, in vobis habitat; ille, qui Christum excitauit a mortuis, vestra quoque mortalia corpora vita donabit propter inhabitantem in vobis Spiritum suum.*

Duo maxime hac voce apostoli continentur breuiter a nobis expedienda: primo enim apostolus intimam credentium cum Christo communionem

tanquam principium ac fontem certorum bonorum commemorat, *deinde* quae ex eo proficiantur, exponit; illud prioribus verbis significat, *si vero*, inquit, *Christus in vobis est*. Est vero haec pars descriptionis vnitatae coniunctionis fidelium cum Christo, quam ex principio capitis huius suppleri oportet, ubi apostolus vere credentes *in Christo esse adfirmat*, ac proinde plenam ac perfectam intimae illius societatis definitionem, nobis suppeditat, quae in eo ponitur, *quod illi in Christo sunt, et quod Christus in illis est et habitat*. Sine dubio autem apostolus ipsum Dominum hac in re praeceuntem secutus est, quippe qui coniunctionem cum suis eodem plane modo iisdemque prorsus verbis describit, (Io. XIII. 15.) et paulo post copiose et eleganter illustrat (Io. XV. 1—11.). Latissimus hic prostermitur campus; in quem si iam excurrere liceret ac vacaret, egregia multa de re maxima dici possent, sed sufficiat nobis breuiter quid hoc sit ostendere, si *Christus in suis esse* dicitur.

1) itaque singularis plane ac tenerrimus Christi amor ac benevolentia erga suos sine dubio significatur, oriensque inde in illis singularis delectatio; id quod facile ad probandum erit, si cogitemus primo, quid contrarium huius sententiae in sacris litteris significet, quando scilicet *Deus recedere, procul esse ab impiis* dicitur; nemo enim tam vecors est, quin intelligat, ab alienationem voluntatis diuinæ ab huiusmodi hominibus, odiumque et auersationem illorum ac quod Deo magnopere displiceant, indicari; contrariorum vero contrariam quoque rationem esse, et ex cognito vno naturam quoque ac vim alterius cognosci, nemini obscurum est, sed ne quidem opus est, argumentando ac ratiocinando demum efficere ac probare, quod s. litterae innumeris in locis diserte et explanate adfirmant. Dicitur enim Dominus suos non solum amare, sed etiam amare ut se ipsum ac membra corporis sui; dicitur illis gaudere ac delectari, et quidem quem admodum sponsus sponsa sua delectatur (cf. Ephes. V. 32. Ps. CXXXVII. Io. XIII. 1. cap. XV. 9. 11. XVII. 23. 26. Ies. LXI. 10. LXII. 3. 4. 5.) 2) Cum omnis amoris proprium sit, illi quem amamus et quo delectamur, bene cupere; dubitari sane nequit, *esse et habitare Christum in suis*, propensam quoque voluntatem studiumque Christi suis benefaciendi salutique illorum consulendi indicare; id quod pariter ex eo constat, quod voluntati sibi esse testatur, suis benefacere (Ier. XXXIII. 41.). 3) Christus etiam ita est et habitat in suis, ut se ipsum illis vna cum omnibus bonis ab ipso partis et in euangelio expositis vere permittat ac donet; ex quo fit, ut fideles per fidem Christum lucrifacere et adipisci, illiusque participes facti esse dicantur, ut Dominus ipse portio illorum audiat, quam sibi libere vindicare, sibi habere, illaque, tanquam sua sibi que propria, ut non solum, sed etiam frui queant ac debeant (cf. Ioh. I. 12. Ioh. V. 12. Psal. III. 8.

Ebr.

Ebr. III. 14. Ephes. III. 17. Thren. III. 24.) 4) Christus etiam est et habitat in suis, quatenus in illis efficaciter ac sine intermissione, ea operatur et auget, quae ipsi probata illis vero vere salutaria sunt. Hinc Paulus ait, *Christum vivere in se*; id est, ita in se esse sibi que adesse, ut vivunt ac proinde operosum et actuosum se ostendat, totum animum occupet, atque ita agat, quemadmodum Dominus in domo sua, quam ipse inhabitat, agere solet, ad suum arbitrium omnia ordinans et in omnia ius et imperium sibi asserens.

Duplicis vero maxime generis operationes Christi in fidelibus sunt, quas apostolus, ut alibi, ita etiam in hoc ipso capite, satis luculenter exponit. *Primum* genus est illarum, quae proxime eo pertinent, ut fiducia erga Deum, pax et tranquillitas animi, gaudium in Deo ac benevolentia illius, cunctaque ex his proficiant, bonus scilicet animus laetaque ac firma spes futurae gloriae conferantur et in dies augeantur. Haec vero omnia efficit Dominus in suis, dum immensum amorem cum suum tum etiam patris ac divitias gratiae magis magisque per illuminationem Spiritus sui patefacit, et per eundem Spiritum spiritui illorum testatur, esse ipsos filios Dei, ac posse imo debere Deum tanquam etiam suum in Christo patrem intueri, qui ipsos in Christo et Christum in ipsis intueatur, ac proinde peccata propter Christum non imputet, contra vero in illo eos cohaereditas salutis ac gloriae faciat ac habeat. Quanta vero pax imo laetitia animi ex certa ac firma harum rerum fide oriatur, Paulus suo exemplo in extremo capite docet ac comprobat, com. 31. sq. coll. c. V. 1—11.

Alterum genus operationum Christi in suis eo continetur, quod illos magis magisque in sanctificatione perficit partim vitiositatem reliquam minuendo, partim vires spirituales in regeneratione collatas augendo ac roborando, ut deposito vetere homine novus induatur, et incrementum spirituale in omnibus appareat. Qua in re tota id quoque ab ipsis fidelibus postulatur, ut ipsi Christo et operationibus illius se libenter permittant, omnia imperio illius subiiciant, se ipsos quasi emancipantes, ac non sibi amplius viuentes, quo Christus vixit in illis vivat ac regnet eosque totos habeat teneat, possideatque; id quod omnino etiam eo continetur, *si Christus in illis esse* dicitur.

Sed progredimur nunc ad alteram meditationis nostrae partem, videri quid apostolus ex hac societate Christi cum suis tanquam ex fonte ducat? *Primo* itaque docet, quae corporis ratio sit et maneat, quoad hanc vitam vivunt; *deinde*, quis sit status et quae conditio animi; *denique*, quid corpori illorum aliquando certo eveniturum sit. *Primo* itaque statum corporis eorum hac vita durante exponit, *corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum*. Corpus sine dubio omniumque concessu altera hic

hominis essentialis pars est, cuius etiam in superioribus frequentissima mentio fit; idem illud corpus quod c. II. *corpus mortale*, commate vero 6. C. VI. *corpus peccati* appellat.

Sunt quidem inter interpretes non pauci, qui de *corpore peccati*, quod Paulus appellat, non minus quam de *corpore mortis* c. VII. 24. aliter sentiant, sibi que persuadeant, *corpus peccati* et *mortis* significare complexum omnesque reliquias vitii in fidelibus adhuc manentis, carnis nomine aliquin appellari soliti, hancque interpretationem eo maxime confirmari existimant, quoniam apostolus corpus hoc peccati plane aboleri vult; quod cum sine dubio in corpore naturali fieri non debeat, necessitate nos cogi arbitrantur, ut *corpus peccati* vitium omne adhuc reliquum, nomine veteris hominis eodem commate notatum, hic significet, quod quin aboleri plane ac tolli debeat, nemo dubitet. Verum enim vero tanti momenti haec non esse videntur, ut usitatam vocabuli *corporis* notionem propterea hic deferamus, cuius apostolus etiam paulo post com. 12. diserte meminit, ac postea etiam membra illius commemorat; id quod ex dicendis apparebit. Primo igitur quaeritur, cur apostolus corpus hominis *corpus peccati* appellet; non sane quasi ipsum corpus per se peccatum esset, aut esse posset, sed quia peccato iam infectum et dominio atque abusu peccati in anima haerentis ac dominantis apud nondum renatos subiectum est, ut ipse apostolus com. 12. interpretatur; quemadmodum *homo peccati* (2. Thesal. II. 3.) homo dicitur, qui peccato plane obtemperat ac seruit. Quod ut nullam difficultatem et obscuritatem habet, ita eo maxime nostra sententia premi videtur, quod apostolus corpus de quo loquitur aboleri ac destrui vult, quod ab homine fieri non debet. At facilis ad haec responsio erit, si cogitemus, aboleri dici non solum id quod plane tollitur et quasi in nihilum redigitur, sed id quoque, cuius conditio et usus valde mutantur. Corpus ergo peccati tum aboletur, quando abusus corporis ad peccatum tollitur, quando, ut ipse apostolus sententiam suam declarat, fideles peccatum non amplius dominari patiuntur in corpore suo, quando desinunt membra corporis sui peccato sistere tanquam arma iniustitiae; quod quando fit corpus aboletur, id est desinit esse idem quod ante fuerat, non quod ad substantiam ipsam pristinam, sed quod ad destinationem et usum pristinum attinet.

Sed misis his redeamus iam ad interpretationem verborum, quaecum maxime tractamus. Apostolus itaque pronuntiat, corpus fidelium etiam in communione huius vitae, cum Christo mortuum tamen esse propter peccatum; quibus verbis apostolus primo statum ipsum et quasi fatum corporis, deinde causam illius rei exprimit. Primo itaque fatum corporis docet, *corpus*, inquit, *mortuum est*; id est, morti adiudicatum atque obnoxium est ac manet, et certo certius morituum est. Est vero etiam
admodum

admodum credibile, apostolum corpus certo moriturum etiam adhuc aliam ob causam iam *mortuum* appellare; ad significandum scilicet, mortem iam in corpore adesse, quoniam causae illius, quae illam iam plane ineuitabilem reddunt, in intimis corporis visceribus ac medullis haerent; ex quo fit, ut vita, quam viuimus, perpetua quasi mors sit, viuentesque moriamur; morbi enim, quorum innumerabilis varietas ac multitudo est, praenuncii non solum sed etiam causae dissolutionis certo ac necessario tandem infecuturae existunt. Verum apostolus causam quoque euentus adeo funesti subiicit, *propter peccatum* id fieri dicens. Quibus verbis id perspicue continetur, veram atque vnicam causam, cur etiam fidelibus moriendi necessitas incumbat, nec quidquam inter illos atque infideles intersit, peccatum esse; quod cur ita sit, inquirere, non inutile erit. Peccatum itaque etiam apud renatos causa mortis manet cum ex rationibus physicis tum moralibus. Primo itaque per ipsam naturalem corporis constitutionem, prouti nunc est et a parentibus traditur, fieri iam aliter nequit, quam ut corporis partes fluidae et solidae modo per aliquod tempus in eo statu manere possint, quem vitae conseruatio postulat, ita ut si aliter fieri deberet, id non nisi supernaturali Dei operatione ac per miraculum contingere posset, quod vero Deus ex rationibus sapientissimis non facit. Primaria igitur mortis ac manens causa in eo ponitur, quod vitium ipsum in anima haerens apud renatos quidem non amplius dominatur, quin potius magis magisque expurgatur, nec tamen penitus ac radicitus, quoad in hac vita sunt, extirpatur. Relinquit itaque Deus etiam apud illos moriendi necessitatem experiendique varii generis mala et acerba, quae cum illa coniuncta sunt, ut gravitatem mali quod vnica mortis causa exstitit, peccati scilicet, eo efficacius sibi semper proponant studiumque suum per id excitent et exacuant opera carnis per spiritum mortificandi, ne gratia ac salute excidant.

Sed pergimus nunc ad considerationem status et conditionis animae eorum in quibus Christus est, quem apostolus ita exprimit, *Spiritus vero vita est propter iustitiam*. *Spiritus* nomine hic sine dubio altera hominis pars essentialis, anima scilicet, intelligitur, cum corpori opponatur; Spiritus vero potius quam animae vocabulo videtur uti voluisse apostolus, ad significandum, carnem non amplius in renatis dominari, sed nouum principium spirituale a Spiritu Dei effectum in illis esse. Spiritus ergo hic est anima a Spiritu Dei sanctificata, quae non amplius secundum carnem sed secundum spiritum ambulat. De huiusmodi igitur anima pronuntiat *esse vitam propter iustitiam*. Primo ergo videndum quid hoc sit, *Spiritus est vita*. Vitam animae non naturalem omnibus omnino hominibus communem hic dici vel ex eo apparet, quia tale quid est, quod vnice ex communione cum Christo proficiscitur, ac homini propter iustitiam demum ac proinde iustis vnice

vnice contingit, minime vero iniustus, qui propterea cum viuunt mortui
tamen dicuntur. *Vita* igitur primario est facultas illa noua in anima per
generationem ex Deo effecta, qua homo rursus et voluntate et vi neces-
saria instruitur, totam voluntatem Dei reuelatam secundum legem et euange-
lium exsequendi; est porro vera beatitudo ac felicitas, quae animae hac via
ex fiducia et sensu gratiae Iesu, amoris Patris, et communionis Spiritus s.
contingit. Haec vita totam animam penetrat, in illa haeret semperque
operosa est, et tum quidem se maxime exferet et adesse cernetur, si corpus
per mortem omni vita ac sensu priuatur; quae cuncta apostolus verbis;
Spiritus est vita, complectitur. Fundamentum verò vnicum huius vitae
iustitia dicitur, illa scilicet, quam a Christo per fidem acceperunt; quae in
eo consistit, vt propter Christum eiusque satisfactionem peccata illis non
imputentur, digni contra habeantur favore Dei beataque illius communione;
quae iustitia et quae illa nitiuntur vita in ipsis manet, quoad Christus in ipsis
est ac manet. Restat iam adhuc expediendum, quod apostolus de futura corporis
gloriosa restitutione subiicit; sed quoniam longioribus nobis in praesenti esse
non licet alio, si Deo placuerit, tempore eade re disserere animus est.

Nunc id restat, vt in fine orationis vos, *Ciues carissimi*, officii ve-
stri breuiter moneamus. Ante omnia itaque vos ipsos experimini (2. Cor.
XIII. 5.) *an Christus in vobis ita sit et habitet*, vt supra expositum est; sine
cuius inhabitatione omnis vita mors est? nemini vero vitae Christi vere et
vnice vitalis particeps fieri eaque frui potest, nisi qui in veram communio-
nem mortis Christi venit, vt quemadmodum Christus, quidquid mortuus
est, peccato mortuus est, ipse quoque peccato per efficaciam mortis Christi
moriatur, quo fides in Christum accendi, iustitiaque ac vita in illo sita ac-
cipi queat. Id ergo cogitate et agite his diebus, Deum in nomine

Iesu Christi precantes, vt vobis Spiritus sui gratiam
ad id largiatur.

P. P. Cal. Apr. ccccclxxvi.



1812. 4.

V. D. 18

